

# medic@

**Didier de Lonroy, François-Mathieu -  
candidat / Allouel, Pierre-Michel -  
président. - An patellae transversim  
fractura sanabilis ?**

**1775.**

***Paris : Typis Andreae-Caroli  
Cailleau, viâ Sancti-Severini, è  
regione Ecclesiae,***

***Cote : ms 2344, n°19a***

A N

PATELLÆ TRANSVERSIM  
FRACTURA SANABILIS?  
THESES  
ANATOMICO-CHIRURGICÆ,

QUAS, Deo juvante, & Præside M. PETRO-MICHAELI ALLOUEL, Artium & Chirurgiæ Magistro, Doctore-Medico Remensi, Regiæ Chirurgorum Academiae Socio, necnon antiquo Regis Præsidi Nosomiorum que Monœci Medico; tueri conabitur FRANCISCUS-MATHEUS DIDIER DE LONROY, Parisinus, Artium in almâ Universitate Parisiensi Magister, & in Duaci Nosocomio Militari nuper Adjutor-Chirurgus; Theseos Auctor.


PARISIIS;

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die Sabbati 15a Julii à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.

PRO ACTU PUBLICO  
ET  
MAGISTERII LAUREA.

*hæc non habita  
fuit, multos ob  
errores, per Typographum  
suo Latinitatis. &c.*



*NATUS HONORANDO DATQUE DICATQUE PATRI.*





D. O. M.

THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

I.



TRUM Patellæ *transversim* fractura sit sanabilis diffen-  
tiunt adhuc Authores quidem (1) & Pratici & Théoretici ?  
Ex Illis Plerique jam nunc *longitudinalis* concedunt cura-  
tionem : Dum agitur de *transversâ*, repentè nutare iudicium, quis  
non miraretur ?

(1) « Absque claudicatione existere nequit *mola* fractura. . . . Paræus. lib. XV  
cap. XXI.

— » Nullâ arte, nullâque industriâ curari non potest sine claudicatione patellæ  
» fractura. . . . Hildan. observ. 88. Centur. V.

— Omnes ferè recentiores duntaxat de fracturâ transversali.



Qualiscumque sit fracturæ directio, quoad ossis indolem (2), Calli quoad effusionem in Articulo, discrimen excogitatum non sentit Arte campos. Si speciem fracturæ spectes, difficilis & ardua, non verum impossibile (3) Medela videbitur.

## I I.

Omnes osseas partes successivè variis gradibus ossificationem perfectam attingere prorsus manifestat Osteogenia. Sicut & alia necessariò Rotula fit ossea. *Carpi*, *Tarsi* quodlibet fractum os, Arte cogitur in unum; humeralis extremitas *Clavicula* adunatur, consolidatur *Olecranon*, tendinem ruptum Natura cæmentat: sic affatur Analogia.

Peragi posse curam hodierna scripta probant; discussionis aliundè nondum Experientia secatur (4). Si variis in fracturæ speciebus non variarent præmissa haud adeò conclusiones stupendæ viderentur: *longitudina-*

(2) » *Variâ indole ossis fracti*, § 342. « ossa v. g. majora, ut os femoris, humeri, &c. « cavum habent in quo medulla reconditur; *clavicula*, *costæ*, ossa *carpi*, *tarsi*, *Rotula* » non habent tale cavum medullâ plenum; undè à majoribus his ossibus fractis sæpè medullæ læsio contingit, à quâ pessima fieri possunt mala. . . . Comm. Doct. Waaswiet. » T. I. p. 509.

(3) PETITUS noster in *immortali ossium de morbis opere* dicit. . . . quamvis fractura sit reducenda difficilior, dum pars superior parva est, periculosa minus. . . . vol 1. p. 226.

— Sit accidentibus concomitata, sit in plures etiam divisâ partes, adhuc sanabilem experientia judicat. . . . Hujus-ce Theos Præses quædam illius speciei tenet observata.

(4) DD. PETITUS. HEIST. & alii dubium tollunt. . . . MM. DIDIER, ALLOUEL, antiqui Scholarum Præpositi, paucis ab hinc annis viderunt rotulæ fracturam *transversalem* perfectè sanatam à D. MOREAU, Chirurgiam ad duo millia exercente.

— M. BOENTUIT, cujus nota est in ossium morbis peritia, plures *Patellæ* fracturas transversales ad curationem absolutam feliciter duxit: ex illis unam in quâ Callum apparet solidissimum servat M. Fargeix.

— In aphor. 346. Comment. occurrit historia quâ Constat « in scemina jam quinto » mense gravidâ *patellam sinistri pedis* fractam, sex septimanarum spatio curatam fuisse » sic ut in domo obambulare, licet enim quâdam difficultate potuerit, Undè, &c. » &c. Waaswiet, T. I. p. 523.



lis autem annuunt, *transversalis* curam negant, argumenta succidunt enervata, frustra<sup>(5)</sup>que reluctantur Adversantes (5).

Paucis igitur anatomen partis exponamus.

### III.

#### EX ANATOMIA.

Sub genu compositionem intrant partes communes, ac propria: *Tibia* Genu. *suprema*, *Femoris* inferior extremitas, & *Patella*.

*Femur*, sicut ossa longa, duas in extremitates quas separat *Διαφύσις* Femur. dividunt. Superior obliquâ cervice sustinet caput semi-sphæricum, cujus ope crus in *acetabulo* variis versatur motibus. Quadrata *Femoris* apparet inferior extremitas: facies anterior posteriori excavata minus, interna verò globosa magis exteriori.

Adfunt condyli duo, *Valle* posteriori disjuncti; internus longior, la- Condyl. Trochlea. tior at externus. Anteriori, deluperque Condylus levi depressione circum-cincta *trochlea* surgit. Condylorum *tuberositates* lateraliter prominent.

### IV.

Gemino vertice caveis glenoïdibus effosso terminatur *Tibia* Tibia. superior extremitas; cum condylis femoris per *γυγγυμον* articulatur. Tuberositatibus gemellis, glenoïdes, internam & in externam distinguuntur ca-

---

(5) Undique verò memorata leguntur quibus constat, peculiari causâ, ossa quævis coadunari non potuisse.

— Ruifchius narrat quòd « in cadavere hominis sani laqueo suffocati invenerit duo ex anterioribus carpi ossibus, ante triennium fracta nondum coaluisse. . . . Obs. anat. « Chirur. obs. IV. p. 8.

— D. WANSWIETEN (oper. jam Cit.) vidit « mulierem cui humeros fractum fuit, & » postea restitutum ex Arte, sed nunquam coaluit.

— In Centur. multa ipsius generis exempla refert Hildan. Referunt & alii: Quid ad nos? aut temperies, aut peculiaris causa, aut curandi modus incusatur.

A iij

vitates, quarum una oblonga & concava magis. *Tibiae* cervix interius obrotunda; externè cameratà depressoque *Peronei* capitis articulo. *Tuberositas tibialis* prodit anteriùs; plana quidem postica pars.

Extremitas inferior, interno latere malleum potrahit internum; at in externo, *Peronei* recessus notatur: denique in cavum definit articulare qui trochleam *Astragali*, multiplices ad pedis motus, recipit.

## V.

*Patella.* Trochleae *Femoris* in aspectu *Patella* sita jacet. Externa facies convexa rugosaque videtur: interna verò lævigata, est, articulationum ad instar cartilagine tecta. In geminam superficiem partitur; quoad circumferentiam, ovatam dicunt. Musculo Recto-gracili insertionem supeditat coronis; infimæ parti, *patellæ* vinculum stat adharens. Cum trochleâ *Femoris* articulatur; *Tibiæ* alligatur *tuberositati*.

*Patel. motus.* Dum flectitur *Tibia*, descendit; dum extenditur, ascendit *Rotula*: en soli-met motus. *Tibiæ* verùm extensione peractâ, adhuc extensores contrahi possunt; tunc ascensionis in *Rotulâ* motus conspicitur alter.

*Tibiæ flex.* Tibiam flectunt *Biceps*, *Semi-nervosus*, *Semi-membranosus*, *Gracilis-internus*, *Sartorius* atque *Popliteus*.

*Extens.* Extensores, sunt *Vasti* duo, *Cruralis* & *Recto-gracilis* quorum ut *ὑπομῆχλιον* haberi *Patella* potest.

*Poplitæ*, capitisque longi *Bicipitis* ope, in externam semi-rotationem; at in internam, aliorum flectentium subsidio, *Tibia* fertur.

## VI.

## EX CHIRURGIA.

*Defin. gener.* FRACTURA, Græcis *κατάγμα*, est in osse continui solutio à causâ extraneâ & violenti (6).

*Speci. Frae. Patellæ.* Vel in longum, vel transversè, vel frustillatim rumpi *Patella* solet. Nisi complicata, impossibilis fractura longitudinalis: ut *patella* sit iccta

(6) P. Aegin. lib. 6. cap. 89. de fract.



*securi*, vel *glande tormentariâ* vel *bombardâ segmento percussa* necessum Causæ.  
est. Absque vulnerante causâ transversalis accidit (7); at tamen ex alto  
lapsus ingentes &c; *transversè* sicut & *frustillatim* fracturam produciunt.

Facilè dignoscitur fractura simplex seu *transversa*: imponantur genu Diagno.  
digiti, fragminum intervallum subito perlenitur. Ascensu discedit pars  
superior; infima moratur.

Differt, etiam in *transversâ*, prognosis. Si superius aut inferius mini- Progno.  
mum sit fragmen, molesta cura statuatur; si per medium, timent qui-  
dem authores ne motus reddat asperos in articulo calli profusa mate-  
ries (8). *Longitudinalis*, causarum intensitate, periculosior. *Frustilla-  
tim*, & gravis & sinistra dijudicetur.

## VII.

Fortè nullus è morbis toties industriam quàm fractura Patellæ susci-  
tavit. Non mirum. Anceps à plerisque curatio censetur; at dum instan-  
tia mala resistunt, MEDENTI nulla quies. Haud unquam verò assurrexere  
media quæ litem absolvere valuerint: varia tamen usu confirmata in-  
dicabimus: antea fracturam reducendi modos subjiciemus examini. Haud  
pridem notæ FASCIÆ UNIENSIS descriptionem demùm exhibebimus (9).

## VIII.

Sunt situs in *modo-faciendi* plures. Tibiâ jam extensâ, adversus ali-  
quid fixum, plantâ, pedem insistere cogunt; tunc pollicum opæ suc-  
cessivâ, ascensam partem ossis in sedem relictam paulatim impellunt (10)

Situs ad re-  
positi.  
Verticalis.

(7) Hoc asserit D. Petit, in suo de off. morb. Tract. p. 224.

(8) Heist. insti. Chir. Cap. IX. de Patel. fract. § III.

(9) Illa fascia dicta l'UNISSANT, eventu felici casibus in multis applicata fuit; hanc  
quidem ad utilitatem publicam, nec non ad ingenii Theſeos Præsidis laudem, revelare  
nobis est animus.

(10) Verba D. Petit, facilè dignoscuntur. p. 228. oper. cit.

— Guy de Chaul, . . . Joubert, . . . &c.



Longitudi.

Alii suram pulvinum suprâ ponunt ; ita tamen ut, alto pede, corpus & crura levem angulum effingant.

» Ægro supino decumbente ( ait Heisterus ( 11 ) pedeque extenso, manibus fragmenta solerter utrinque compellentur, &c.

Angularis.

Tibiâ jam extensâ, ad angulum usque rectum crus inflectere trunco nuperrimè consiliavit M. Valentin, Arte nostrâ peritus ( 12 ).

Non situm, non curam peculiarem quàm in fracturâ tibiæ commendant quidam Authores ( 13 ).

## I X.

Potior situs.

Vera utiliorque positio est illa quâ muscoli *Tibiæ*, pede libero, relaxantur. . . *Longitudinalis* ergò quæ ferè nunc eadem est ac *angularis* [ Si strictiùs sumere verba non expediat ] validè congruit : *longitudinalis* enim ad *angularem* referri potest. In *verticali*, pes infixus terrâ tenetur ; sustentatur Tibiâ corpus : suppetias enim mutuunt ac mutuantur musculi, & sæpiùs qui distrahuntur remissos falsò crederes.

Hoc in presenti casu, corpus inertè ponatur ( 14 ) : nullus è musculis cogatur contractione ; præcipuè *Recto-gracilis*, ex illis solus qui *punctis*

( 11 ) Instit. Chir. Loc. Cit. § IV.

( 12 ) Rech. Crit. sur la Chir. Mod. Dissert. p. 173.

( 13 ) Quod *Patellam* spectat ad tibiæ fract. refert Paræus. . . de fract. Rot. Cap. XXIII, &c.

— Hic notandum incumbit quòd Paræus nec ossis naturam accuset, nec adunationis prædicere impossibilitatem. . . « Pour le pronostic, je dys que jamais je n'ai vu que ceux » qui ont eu cette partie rompue, ne soient demeurés claudicans, parce que la con- » jonction faite par le callus empêche le genouil se pouvoir fléchir. . .

SUPERIUS ALIUNDÈ . . . « Il faut situer la jambe comme si elle étoit rompue, jusqu'à » ce que le Callus soit FAIT & ENDURCI. . . Hæc sunt verba Magistri.

( 14 ) » Ex quiescente quidem ac remisso rectitudines spectandæ sunt, velut in manûs » figurâ. . . Hippoc. lib. de Medic. Offic. Tom. XII. pag. 87. 88.

— Quibus in figuris Quàm oriamur, singulas corporis partes habere consuevimus, hæc in curationibus eligendæ sunt. . . Galen. in suis Comment.



alternâ vice *mobilibus* vigeat : angulum exprimant corpus & crura : denique præsertim vitetur aliarum partium distractio. Hæc igitur *longitudinalis fissus* commoda.

## X.

De Topicis (15), de medicaminibus internis (16), sponte nostrâ nulla dicemus.

## X I.

Ut reducta *Patellæ* fractura contineatur, varia obviâ procedunt Media conti.  
media.

Eamdem ac *Tibiæ* fracturæ fasciam Quidam proposuerunt (17).

Heisterus (18) fracturæ longitudinali *fasciam-unientem ad vincienda ventris ac frontis longiora vulnera propositam*, (\*) adaptat. In transversali *emplastra vel lunata* (\*\*), *vel perforata* (\*\*\*) commendat.

D. Petitus & alii ad usum fasciæ, circonvolutionum ergo dictæ 8, invitant. Volutata lunataque duo addunt lineæ : diversos inter tæniæ circuitus inducunt fasciolam, Capita cujus ad constringendum apparatus & partes approximandas inferviunt ; denique advocant Palearia (19).

In Nosocomio Parisiensi [Hôtel-Dieu] eadem celebratur fasciæ :

(15) S<sup>i</sup>. Dominici Fani præfectus Oviedo plantæ Monstrum-Arboris dictæ descriptionem exhibet. . . applicatione solâ vel corticis, foliorumvè tritorum quælibet ossis fractura sanatur. . . Dum effectum producit, cuti tenax adheret ; curatione peractâ, ultrò labitur emplastrum.

Territorium S<sup>i</sup>. Dominici Fanum inter & Yaguana huic Arbusculæ placet. Hist. gêner. des Voyages, Part. III. Liv. V. Tom. XII.

(1) Quòd non lapidis *στυροχάλας* ab Hildano tam laudati, jam jam renovatus fuerit usus nonne mirandum ?

(17) Paræus Cap. XXIII. de Rot. du geno.

(18) Instit. Chirurg. loc. cit. . . (\*) de vulner. univers. spectat. § XXXIX. lib. I. cap. I. Vid. Tabul. II. litt. f. . . (\*\*) Vid. Tabul. IX. fig. 2. (\*\*\*) Vid. Tabul. IX. fig. 3.

(19) Oper. jam cit. pag 229 & seq.



curvatorum loco, unum è corio circum admittunt. Circuli vacuum implent *Patellæ* reductæ partes (20).

Jam jam verò diximus M. Valentin in repositione situm angularem confiliaffe; ad curationem, illum soleâ secundatum, servatumque pulvinaribus ostentat (21).

## XII.

Partes fractas continere fasciâ Authores unâ consentiunt (22). . . .  
 » retentio in situ sit fasciis, spleniis, ferulis, canalibus, quietem conciliando, tum impediendo & dirigendo actionem musculorum (23).

Facili ratiocinio probaretur absoluta diuturna que (24) fasciam fractas partes approximantem applicandi necessitas. Arduam enim coadunationem pendere à difficultate, in immediato contactu, adversâ fronte, perfectâ continuâque admotione continendi rotulæ fragmina, Prac-

(20) « La rouelle du genouil rarement est rompue, mais le plus souvent elle se distort.  
 » Il faut en son rabillement assembler des doigts les fragmens, & les esgaliser suivant  
 » sa figure, emplastrer & mettre une ronde astelle faite de semelle, puis lier ainsi qu'il  
 » appartient. . . . Joub. trad. de Guy de C. Tract. V. doct. I. chap. VIII. de la fracture  
 du genouil, pag. 397.

(21) Recher. Criti. Dissert. pag. 173.

(22) Hippoc. Galen. Fabr. ab aquap. Solingius. Purman. Heist. Petit. Palfi. Garegeor. Multique è recentioribus.

(23) Boerh. apher. 354. . . . D. Wanswiet. Comment.

— D. Wanswiet. in seq. apher. Comment. pag. 534. . . . « requiritur ut sic firmetur  
 » membrum læsum, ut immobile omninò sit, hoc autem fit fasciis, spleniis &c.

— Heist. de Patel. fract. .... « pes afflictus ita & collocetur & deligetur ut nec insecti  
 » facile, nec disturbari valeat.

(24) » Vix enim glutinari satis ante illud tempus [ 9 aut 10 hebdomades ] patellæ  
 » fragmenta consueverunt, & qui tam diu non quiescunt, plerumque claudicare solent.  
 Heist. Inst. Chirurg. loc. cit. . . . Ruifch. obs. JII.

— Rotulæ fractæ sex septimanarum spatio curatæ exemplum refert D. Wanswieten,  
 Comment. apher. 346. Tom. I. pag. 523.

— In simplici casu 10, 11, 12 hebdomadas curæ impendimus. Relativum ad accidentia tempus aliundè producat.



tici notæ melioris autumant (25). Objectum illud apprimà desideratum circa verfarunt; hæc perficà tenens vix tetigere manu. Conopea sanè dis-  
 cutionis Experientiæ sagaci, Fasciæque nostræ (26) ufui jam prospero  
 diftrahere liceat : Equidem concludamus ;

ERGÒ PATELLÆ TRANSVERSÌM  
 FRACTURA SANABILIS.

(25) Ne noxiam ancipitemque membri rigiditatem producat admotio & perfecta &  
 continua non timemus. Si, quod sæpiùs, eveniat illa; tempore, motibus leniter iteratis,  
 dulcibus, à ratione ductis, fomentationibus, siccis frictionibus, aliisque mediis tollitur.

Hic notandum 1º. majusvè, minusvè temporis spatium pro diversâ Subjectorum in-  
 dole, pro fracturarum specie diversâ, &c. necessarium esse. 2º. non totam suprâ par-  
 tem fieri debere fomentationes, balnea, &c. ex illorum usu repetito dissolveretur calli;  
 materies, à se recederent fragmenta, & vana ac inutilis cura fuisset.

Quidam aliundè, ut ex multis probatur allatis, ista accidentia memorant ad asse-  
 tendum quòd si Patellæ aliquoties fractura solidetur, instantanea sit sanatio.

(26) UNIENTIS-FASCIAE DESCRIPTIO.

Patellæ Uniens-Fascia ex partibus octo confatur; in descriptione ordinem applicatio-  
 nis sequemur.

1º. *Canale ferreum* adest proprio pulvinare munitum, itaque dispositum ut illa pars,  
 Anatomicis Genu, firmata sustineatur.

2º. *Pulvinar complementi*, ut pars molliter sedeat necessarium.

3º. Duo sunt è corio Amenta semi-circularia, quâlibet in extremitate fibulis armata;  
 Superius illud, aliud inferius submittitur.

4º. *Epi-poples & Up'poples*, fibulâ in medio solidiori sitâ, quisque paratus. Ad *Amen-  
 terum semi-circularium* fibulas tendere debet è quatuor quævis extremitas coriacea.

5º. Tandem adest è serico vel stamine & Amentum-copulans inferius, & Amentum-  
 copulans superius; diverso modo texuntur extremitates: quæ solidiori Epi & Up'poplitis  
 medio respondent & hærescunt, Tæniarum ad instar effinguntur. Tæniæ superioris &  
 inferioris *Amenti* se se decussant; Extremitates aliæ, integræ, liberoque passu, fibulâ  
 Epi-poplitis, Up'poplitisque fibulâ inducuntur; &, ad fracturæ partes approximandas,  
 contactuque necessario retinendas, illis stringuntur.

---

Typis ANDRÆ-CAROLI CAILLEAU, viâ Sancti-Severini,  
 è regione Ecclesiæ. 1775.



